TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. **J_MSS_0647**

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

647

Causa
Trium Capitulorum

Manoscritto scolastico
Di Antonio Beltrame di Caminetto di Butrio
, che nel 1780 e poi, era Canonico
di Cividale.

Causa trium Capitulorum

Cum Ibas Edessenus Episcopus ad Concilium Chalcedonense se contulisset, ut in suam sedem restitueretur, ex qua absens a Dioscoro in Epheso tanquam Nestorianus detrusus fuerat, relectis ejus scriptis, et epistola quadam ad Marim Persam, ob quam precipue ut Nestorianus accusabatur a judicibus sedis Apostolicae locum tenentibus ut innoxius episcopali honore dignus act: 9. et 10 judicatus est. Judicium sententiam probarunt omnes episcopi modo Ibas Nestorium anathematizaret; quod cum ille lubens iterato prestitisset coram omnibus decretum fuit, ei honorem episcopatus restituendum, et Ecclesiam, a qua absens, et injuste expulsus fuerat, reparandam. Porro in epistola Ibae Theodorus Mopsvestanus Episcopus Nestorii magister laudabatur; Theodoreti vero Cirensis anathematismi contra Cyrillum commendabantur. Quamobrem Eutichyani, ut solent rei damnati obmurmurare judicibus suis, et nova undique erroris sui defendendi argumenta conquirere, ceperunt statim Chalcedonensem synodum lacerare, quasi Nestorio, et Nestorianis faveret. Idque satis constare dicebant tribus presertim punctis, seu capitulis. Primo quod Magistrum Nestorii Theodorum Mopsvestenum synodus laudasset, quem damnare debuerat tanquam mali caput, et primum heresis auctorem. Altero quod cum Theodoreto Cyrensi Episcopo magni Cyrilli adversario communicasset, ejus etiam contra Cyrilli scripta recipiens. Tertio quod absolvisset Ibam Episcopum Edessenum, ejusque epistolam quandam ad Marim Persam quae Nestoriana erat, approbasset. Theodorus igitur perperam laudatus Theodoretus male in communionem admissus, ejusque contra Cyrillum scripta temere recepta: Ibas propter meritum absolutus, ejusque epistola Nestoriana ad Marim Persam male approbata, tria sunt famigerata illa capitula, et quibus Semieutychiani, seu Acephali, propago quaedam Eutychianorum occasionem arripiebant non admittendi Concilii Chalcedonensis, et erroris sui porro defendendi.

Hęc inter Theodorus Caesareę in Cappadocia Episcopus seu nupera originis sui damnatione exasperatus, seu de consilio uti creditur, Augustę Theodorę feminę clam Eutychianę, Justiniano Imperatori auctor fuit, ut tria capitula damnarentur, specie ineundę cum Acephalis concordię, et ne qua, ut ajebant, apud Catholicos orientales Nestorianismi suspicio remaneret. Damnavit tria capitula Justinianus anno imperii sui 22; Vigilii Romani Pontificis 10, Christi Domini 549, centum post annos uno minus a Concilio Chalcedonense, trium capitulorum, ut vulgabatur, approbatore. Damnationi Imperatorię subscripserunt quidem sine mora Orientales Episcopi: sed defensionem trium capitulorum suscepit acriter occidentalis Ecclesia, ab Eutychianorum artibus, et Graecorum levitate timens; ne per tria capitula auctoritas Concilii Chalcedonensis per cuniculos, et oblique peteretur. Edictum Justiniani reprobavit primum Vigilius Pontifex: deinde vero Constantinopolim veniens, et ipse Imperatori consensit celeberrimo illo suo judicato, seu constituto: quod tamen seu constitutum, seu judicatum postea retractavit, totam causam remittens ad Concilium plenarium ex occidentalibus, et orientalibus Patribus ęquo numero cogendum. Cum autem venire occidentales renuerent, aliquandiu concilium dilatum est, donec impatiente morarum, et rem urgente Justiniano, tandem anno Christi 554 celebratum fuit Constantinopoli Concilium generale V, in quo tria capitula fuere damnata. Concilium ejusmodi, cui nec interesse, nec presidere voluerat Vigilius; idem, quod mirum est, sexto aut septimo inde mense confirmavit, ejusque definitionibus, atque trium capitulorum damnationi universa sensim aquievit Ecclesia; reclamantibus ab initio Schismaticis non paucis, pro quibus reducendis Pelagius I, Pelagius II, Gregorius Magnus, aliique Rom. Pontif. longam, et diligentem operam posuerunt.

Quam sententiam fovere animo debeat Catholicus Theologus, inconcussa Concilii Constantinopolitani universalis Ecclesiae suffragio probati auctoritas perspicue docet collatione VIII. Can. XII, quo Theodorus, ejusque scripta damnata sunt his verbis: Si quis defendit impium Theodorum, et impia ejus scripta, anathema sit. Canone deinde XIII anathema dicitur in eos, qui impia Theodoreti scripta defendunt, quae contra rectam fidem, et contra primam Ephesinam sanctam synodum, et S. Cyrillum, et duodecim ejus capitula exposuit. Can. demum XIV illi damnantur, qui defendunt epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hereticum scripsisse, quae abnegat Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper Virgine incarnatum, et hominem factum esse. Generalis igitur Concilii sententia haec capitula tanquam heretica proscripta sunt.

E qua porro horum damnatio constat ex doctrina his capitulis contenta. Theodorus in symbolo, recitato collatione IV hujus sanctae synodi docet, ideo non dici duos filios, quia Christus cum Deo Verbo habet conjunctionem, et communionem honoris: item nominationem Filii, et Domini aperte negata substantiali unione. Lib: VI in Joan. scribit, Dei nomen Christo non convenire, nisi quatenus est templum Dei Verbi assumptum pro salute hominum. Lib: III contra Apollinarium inquit, non existimandum est, Deum de Virgine natum esse &c. Theodoretus in confutatione primi Cyrilliani anathematismi negat, Deiparam Virginem revera Deum genuisse, docens duntaxat hominem unitum Deo, qui eum complasmavit. In anathematismo 10 unionem oppugnat secundum hypostasim. Et in Pentalogio cap. V explicat nexum duarum naturarum in Christo exemplo viri et uxoris: et, quod aperte Nestorianismum profert, ait ibidem, sine sua persona nefas est asseverare substantiam. Denique in ep. Ibae de Theodoro Mopsvesteno legitur: Beatus Theodorus, predicator veritatis, et Doctor ecclesiae. De Cyrillo autem: Cyrillus lubricavit, et

inventus est cecidisse in dogma Apollinarii. Casesti=ni quoque PP. dicuntur hac in ep. ab eodem Cyrillo veneno obcæcante seducti.

Propositio III.

Tria capitula, quæ a Concilio Constantinopolitano II subinde damnata sunt, Synodus Chalcedonensis nunquam probaverat.

Probatur imo auctoritate Concilii Constantinopolitani. Concilium hoc de ep. Ibæ ad Marim Persam, quæ celeberrima illa capitula continentur, hæc habet: quomodo præsumunt aliqui dicere, istam impiam epistolam susceptam fuisse a Sancto Chalcedonensi Concilio. Accedit auctoritas Gregorii Magni ep. 37, qui de trium capitulorum negotio expresse asserit: de personis tantummodo, non de fide aliquid gestum est.

Demum et ratio theologica suffragatur. Non debet affingi approbatio epistolæ Nestorianæ Concilio Chalcedonensi, nisi de ea approbatione certo constet: quia Concilium est in possessione innocentiæ et veritatis, a qua possessione deturbari nullatenus debet ex incertis tantummodo exceptionibus, et levissimis conjecturis. Atqui de ejusmodi approbatione tantum abest, ut certo constet, ut ne conjectura quidem arguere illud possimus. Ergo.

Illud quoque ad Concilii Constantinopolitani auctoritatem provocantibus reponi potest, Concilium œcumenicum in quæst. dogmatica errare non posse. Porro Concilium Chalcedonense non minus, ac Constantinopolitanum secundum, seu Synodus sta vere œcumenica fuit: minore igitur auctoritate pollere nequaquam debet. Epistolam ergo Ibæ, quam Synodus sta certo damnavit, Synodus Chalcedonensis probare non potuit.

Ad Eutychianorum nunc criminationes arcendas accedamus. Concilium Chalcedonense, inquiunt, tria ca=

pitula, quæ ab universa Ecclesia in Concilio Constantinopolitano damnata sunt, revera probaverat: erravit ergo synodus illa, et sententiã contra Eutychẽ non maturo tulit judicio, sed cæco in personã odio, ac furore revera præcipitavit.

Qua libertate ab Eutychianis id asseritr, eadem a nobis festive negatr. et ad pmũ quidem capitulũ, quod attinet de persona, et scriptis Theodori Mopsvesteni ne mentio quidem facta est in synodo Chalcedonensi. Tantũ abest, ut ea laudata fuerit, aut directo consilio collectis suffragiis, canonice approbata. Personã deinde Theodoreti in communionẽ admisit quidem sancta illa synodus,+ sed Constantinopolitana nunquã damnavit. Scripta vero Theodoreti contra Cyrillũ ita reprobata sunt Constantinopoli, et ab auctore ipso retractata, ut nunquã revera fuerint approbata Chalcedone. + Act: VIII

Sed quoniã utriusque hujus capituli approbatio censeri posset contenta in approbatione epistolæ Ibæ Theodorum laudantis, et Theodoreti scripta adversus Cyrillũ vehementer celebrantis, tota difficultas ad 3tiũ capitulũ, seu ad epistolã Ibæ devolvitr. epistola Ibæ, inquiunt Acephali, approbata prius in Chalcedone, ut catholica; tũ Constantinopoli tanquã Nestoriana damnata, atque proscripta. Ergo si Constantinopolitanæ synodo sua constat auctoritas, Chalcedonensis nulla est. Pro antecedentis affirmatione, ipsorũ verba Conciliorũ adferunt. et ad Conciliũ quidem Chalcedonense quod attinet, quoniã de Constantinopolitana ejus epistolæ damnatione nulla est controversia: <u>relectis chartis</u>, inquiunt P.P. act. 10, <u>agnovimus Ibã Reverendissimũ innoxiũ approbari. Relecta enĩ ep:+ eiũ ẽã hortodoxũ, eis, propter hoc decernimus, et honorẽ episcopatus, et Ecclesiã a qua injuste et absens expulsus est, restituendam.</u>

Resp. falsũ ant. secundum primã partẽ. Ibas quidem in Concilio Chalcedonensi pronunciatus est hortodoxus, sed ejus epistola nunquã hortodoxa, et ab errore immunis pronunciata est. Ne=

+ agnovimus

que id, quod in ejus membri confirmatione adducunt, quidquam habet roboris ad persuadendum. Forte enim epistola, qua relecta Hortodoxus pronunciatus est Ibas, non fuit epistola ad Marim Persam: sed epistola quædam supplex ad Synodum, in qua Ibas fidei suæ professionem expresserit. Conjecturam hanc probabilissimam esse docent, quæ act: 9 peracta sunt. Cum enim Ibas coram judicibus supplicem sese stetisset, ut in sedem suam restituerentur, judices, qui sedis Apostolicæ locum tenebant, illum hortati sunt, ad satisfactionem eorum, qui læsi dicebantur, ex scripto dare, quod sentiebat, vel sapiebat de pia nostra fide, quod et fecit. Cumque inquisitione absoluta omnes episcopi illum absolvissent, modo Nestorium, Eutychem, et ejus dogmata anathemizaret, Ibas dixit: et jam in scripto anathematizavi Nestorium, ejusque dogma, et nunc anathematizo eum decies millies.

Sed demus epistolam, qua relecta, Hortodoxus declaratus est Ibas, illam fuisse, quam ad Marim Persam perscripsit. Epistola illa, spectata fide, quam in illa ipsa expresse, et explicate professus est Ibas, et accedente interpretatione, et erroris Nestoriani detestatione Ibas oscitanter forte audientibus revera hortodoxa videri potuit. Ecclesia, inquit Episcopus ille, sic dicit, sicut et tua religiositas novit, et a principio est edocta, atque firmata divina doctrina ex libris beatissimorum Patrum: duæ naturæ, una virtus, una persona, quæ est unus Filius Dominus noster Jesus Christus.

Reprehendit deinde ea in epistola Nestorium, quod dixerit in suis libris, quia B. Maria Dei genitrix non est. Quæ verissima sunt, aut saltem videri possunt, et ab omni erroris suspicione libera in homine, qui Nestorium, ejusque scripta anathematizat: quemadmodum Ibas act. X ore, et scripto decies millies se anathema=

Accusabatur Ibas, quasi protulisset eam enuntiationem: non invideo Christo facto Deo, de læsione Cyrilli, de Nestorianismo: post oblatos libellos accusationum, et lectas epistolas ad Marim Persam, Ibas continuo subjecit = jubeat vestra Clementia relegi et litteras clericorum Edessenorum, ut cognoscatis, quia et ab his, quæ mihi illata sunt, alienus existo, et violentiam perpessus sum. Lecta autem fuit instructio, seu epistola Edessenorum, in qua purgatus fuit crimine, quod objectum ipsi fuerat, et accusatus dixisse coram pluribus = non invideo Christo facto Deo, quia et ego factus sum. Purgato hoc crimine per lectionem epist. Edessenorum, legenda erant, quæ Ephesi contra ipsum acta fuerant. Sed quoniam omnia decreta illius latrocinii jam scissa fuerant, vetarunt Patres, ne illa legerentur, sed eterna oblivione sepulta jacerent. His peractis ajunt legati = relectis chartis agnovimus Rmum Ibam innoxium approbari. Relecta enim epistola eum esse ortodoxum decernimus = Quam epist. relecta ortodoxus pronuntiatur? Procul dubio ea epist. de qua proxime mentionem fecerat; per quam a blasphemia sese purgaverat, et a Nestorianismi suspicione.

Dixerat Ibas ante lectionem famosæ epist. = Euthyches adversus me pro fide quam falsa confixit. – Cognovistis ex decreto, quia in nullo culpabilis repertus sum.

tizare dixit: et act: IX promisit in suæ Civitatis Ecclesia alloqui, et manifeste anathematizare malignæ impietatis principem Nestorium, et eos qui sicut ille sapiunt, et qui libris, vel codicibus ejus utuntur. Neque enim ex sola epistola absolutus est Ibas, sed relecta epistola, audita interpretatione, relectisque chartis, inter quas et illæ haud dubie erant, quas in fidei suæ contestatione a judicibus conscribere jussus est, et revera conscripsit: et dicto anathema Nestorio, illisque omnibus, qui, sicut ille, sapiunt, et quidem qui vel libris, vel codicibus ejus utuntur.

At qua ratione, referunt, epistola illa Patribus hortodoxa videri potuit, Ibæ etiam accedente interpretatione, cum Nestorii Magistrum Theodorum Mopsvestenum tantopere laudet, veritatis prædicatorem, et doctorem Ecclesiæ appellet, aliisque præconiis exornet: Cyrillum vero vituperet, et in hæresim lapsum eum affirmet, quod dixerit: quia ipse Deus Verbum homo factus est; quod omni impietate plenum esse adfirmavit, et adductis scripturæ testimoniis confirmare conatus est?

Resp. quia nempe PP. merito putare poterant, Ibam Theodori scripta aut nunquam omnino, aut nunquam meditatum legisse, cum Nestorium reprehenderit in eadem epistola. quia deinde perfunctoria Theodori commendatio, quæ ad alia præclara ejus scripta, et gesta referri poterat, in quæstione, an recta sentiret Ibas, rectaque crederet, præponderare non debebat expressa Nestoriani erroris ejuratione, explicata fidei catholicæ professione, publica consensione, et subscriptione ei, quæ tunc de fide data erat a sancto Concilio, sententiæ, et epistolæ Romani Pontificis Leonis.

Cur deinde Ibas Cyrillum reprehende=

rit, rationem in ipsa epistola expressit, unde a Nestoriano errore immunis judicari potuit. Quia nempe inquit, Cyrillus libros Nestorii volens destruere lapsus est, et inventus in Apollinaris dogma incidens. Quod aliqui de illo Nestorius, Theodoretus, aliique divulgaverant. Addit deinde conscripsit Cyrillus duodecim capitula, quia una natura est Divinitatis, et humanitatis Dni nostri Jesu Christi: qui apertus erat Apollinarii, et Eutychis error. His autem etsi a Nestorii impietate non se sufficienter purgasset, lapsumque se errore facti non docuisset; illa profecto eum ab omni erroris suspicione absolvissent, quae accusatoribus suis illud objicientibus, quod dixerit: Cyrillum Episcopum esse hereticum, respondit in actis. Si, inquit, eum vocavi, quando orientale Concilium eum quasi hereticum anathematizavit, sequutus sum primatem meum. Et post multa ultro, citroque dicta, sic pergit: postquam sua capitula interpretatus est, tantum abest, ut eum virum anathematizaverim ut etiam litteras ab eo acceperim, et litteras ei miserim, et communicatorem me habuit. Quae ergo pro Theodoro, et contra Cyrillum dixerat Ibas, non erat cur Nestorianae impietatis injicerent suspicionem.

Cyrillo satisfacit

Quo igitur jure, insurgunt, ea epistola in Concilio Constantinopolitano tanquam heretica damnari potuit, quasi praecipuum Nestorii errorem contineret, Deum Verbum de sancta Dei genitrice semper Virgine incarnatum, et hominem factum non esse, si Chalcedonensis Concilii Patribus horthodoxa videri potuit.²

Resp. Sola ibae epistola in Concilio Constantinopolitano excussa est, nullae exceptiones adhibitae, nullae interpretationes admissae, nullae correctiones, et retractationes interpositae. Nem=

pe juxta omnes suas partes considerata est, omni=
ũ accurata facta collatio: quatenus scilicet ad
Marũ Persã hereticũ mittebatur, Theodorũ lauda=
bat, Cyrillũ accusabat, locutionibus Nestorio etiã
communibus scatebat, idque postquã excussa erant
Mopsvesteni scripta, et a generali Concilio tanquã
impia, et Nestorianis erroribus infecta declarata,
ac proscripta: postquã Cyrilli sententia de una
Natura Verbi incarnata ab ipsis Cyrillo, Theodoreto,
atque Concilio Constantinopolitano satis declarata,
et catholice exposita fuerat: postquã Acephali ea
epistola ad errores suos tuendos abuti cœperant:
Verbo postquã epistola illa, determinata ex
communi totius Ecclesiæ usu vocabulorũ signi=
ficatione, aperte heretica esse cœpit. Id quod +
factũ novimus cũ pluribus aliis hortodoxis lo=
cutionibus, quæ cũ nullã ab initio præseferrent
erroris speciẽ, subinde ex hereticorũ sensu, et
usurpatione tanquã hereticæ proscriptæ sunt.

Heretica ergo, regerunt, est Ibæ episto=
la. Patres igitur Chalcedonensis Concilii ex ea
epistola Ibam hortodoxũ agnoscentes, et decla=
rantes, hereticũ absolvunt, et impia Nestorii do=
gmata hortodoxa declarant.

Resp. Quatenus epistola illa heretica +
sit, docuimus: quatenus ex illa hortodoxus de=
claratus fuerit Ibas ex dictis patet. Illud hic
addimus, Concilio nequaquã propositũ fuisse de
epistola illa hortodoxa ne sit, an heretica sen=
tentiã pronunciare. Ubi enĩ ejusmodi capitu=
li propositio? quando eã in rẽ collecta Patrũ
suffragia? quis canon ea de re editus? non illud
tunc agebatur: sed istud unũ, an objecta Ibæ crimi=
na officere deberent, quominus in propria sedem
episcopalẽ restitueretur: a quibus cum se probe
purgaverit, saltẽ quatenus a Concilio postulatũ
est, Ibas in sedem suã omnibus suffragiis adito

decreto restitutus est.

Indicant id ipsa Patrum suffragia, quæ lata, et collata sunt, antequam illa, quæ a judicibus proposita fuerant, propriam vim retinerent. Si enim unicum Maximum Antiochenum Episcopum excipias, nemo epistolæ in Ibæ absolutione, et approbatione mentionem fecit: omnes solius anathematis Nestorio, et Eutychi ab Iba dicendi ratione se habere significarunt. Postquam enim Eusebius Dorylæi dixit: tantis Patribus sanctis episcopatum Reverendissimo Ibæ reddentibus, et ego consentio: omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: omnes eadem dicimus, Nestorium modo anathematizet; Eutychem, et ejus dogmata modo anathematizet.

Nestorium anathematizet.

Tantum denique abest, ut epistola illa de consilii sentententia pronunciata fuerit hortodoxa, ut Juvenalis, Hierosolymorum Episcopus suffragium suum his expresserit: qui convertuntur, hos divina scriptura suscipi jubet: quapropter et eos qui ab Hæreticis revertuntur, suscipimus. Unde prævideo Reverendissimum Ibam impetrasse clementiam, quia et senex est, et habet Episcopatus gradum. et Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus: omnem, inquit, in præsenti de ea suspicionem abjicio: quoniam consentit, et subscribit ei, quæ nunc de fide sententia data est a sancto Concilio, et epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis.

Rationes porro, cur epistolam illam expresse non damnaverit Synodus, sunt. Imo, quia epistolam Ibas ipse sufficienter damnaverat, Nestorio anathema iterato dicens. 2do, quia non contra Nestorium, sed contra Eutychem coacta erat Synodus. 3tio, quia jam sufficienter damnata censeri poterat epistola, cum Synodus Ephesina Nestorianam hæresim proscribens, da=

mnaverit saltem implicite scripta omnia, in quibus hæresis Nestoriana inveniretur. Dicendum tamen probabilius quarto quo tempore producta est in Concilio Ibæ epistola, absolutum id fuisse negotium fidei, Patribus a Sancto Leone commendatum: ac proinde episcopos, qui ad causas tantum personales judicandos remanserant, quæstionibus personalibus dogmaticas miscere noluisse.

Caput III.

Declaratur origo progressus, et summa hæreseos Monothelitarum: contra quos præter divinam voluntatem, actusque illi respondentes vindicatur Christo humana quoque volendi facultas, libereque voluntates.

I. Solam divinam voluntatem in Christo admittebant Apollinaristæ, docentes, in eo fuisse Verbum pro anima rationali: Nestoriani e contrario purum in Christo hominem agnoscentes solam ei humanam voluntatem tribuebant. Eutichyani ut unam naturam, ita unam in Christo voluntatem propugnabant. Sed præter hos septimo sæculo imperante Heraclito peculiaris Hæreticorum Monothelitarum secta est exorta, qui licet in Christo duas naturas profiterentur, aut saltem aperte non negarent; unam tamen in eo voluntatem, et unam operationem constituerunt. Horum Hæreticorum duces præcipui erant Sergius Antistes Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, Macharius Antiochenus, Theodorus Pharamitanus, Pyrrhus, et Paulus Sergii successores.

II. Princeps, et auctor hujus erroris, qui ecclesiam ab anno sexcentesimo trigesimo ad annum 680 fuit Athanasius quidem eutychianorum in Syria, Armeniaque degentium, vulgo Jacobitarum Patriarcha. In hunc cum forte Hierapoli incidisset Heraclius Augustus a victo Cosroe provincias lustrans, atque componens, rogassetque hominem, ut duas eum ec=

clesia Catholica in Christo naturas profiteri vellet; pollicitatione Antiochenæ sedis adductus Athanasius annuit quidem. at vicissim quasi aliud agens ex Imperatore percontatus est; duasne simul in Christo voluntates, atque operationes dici oporteret? Hæsit ad novam quæstionem Imperator; et quid in ea re sentiendum esset, rogavit Sergii Patriarchæ sententiam. Is, ut communi cum Athanasio laborabat malo dubium Imperatorem in præceps impulit. Sergio ad Imperatorem ludificandum sese adjunxit Cyrus, cæterique omnes, quos numero I retulimus.

III. Primus adversus Cyrum Episcopum suum se opposuit Sophronius Monachus vir egregius, qui cum diu frustra eidem obstitisset, Constantinopolim ad Sergium profectus id effecit, ut quæstio in utramque partem silentio premeretur. Brevi autem post factus Jerosolymorum Præsul Sophronius, cum errorem nihilominus latius serpere cerneret, classicum cecinit adversus Monothelitas, missis tum ad Sergium Constantinopolitanum litteris, in quibus duas operationes adstruit; tum aliis ad Honorium Papam, in quibus eum emergentis hæreseos admonet, ut eam auctoritate sua comprimeret. Per idem fere tempus Sergius quoque ad Pontificem scripsit, rogans, ut pacis studio duarum perinde voluntatum, ac unius professione abstinendum decerneret, tum quod PP. veteres quæstionem illam silentio præteriissent; tum quod duarum voluntatum prædicatio duas in Christo humanas voluntates sibi invicem contrarias, quales ex peccato nobis insunt, videretur invehere. Non sensit dolos Honorius, et votis Sergii subscripsit incautus.

IV. Defuncto interim Honorio, Sergius ejus litteris munitus cum Cyro, et Theodoro Heraclium jamdiu ancipitem adiit, persuasitque, ut Ecthesim, seu fidei expositionem ederet, qua caveretur, ne quis sive unam, sive duas in Christo voluntates, et operationes prædicaret. Annuit Augustus Sergio,

et exoptatam Ecthesim proprio nomine editam, a Sergio revera concinnatam Constantinopoli proposuit, eamque foribus Constantinopolitanæ Ecclesiæ affixam solemniter promulgavit. Heraclii Ecthesim constanter repudiavit, damnavitque Severinus Honorii successor, ut testatur Martinus I in fine secretarii tertii Concilii Lateranensis, et Sergio constanter se opposuit. Quemadmodum autem Severinus Sergio, ita Severini successor Joannes IV Pyrrho Sergii successori fortiter restitit, instititque, ut Ecthesim Romæ damnatam, ipse quoque suo suffragio damnaret. Sed reluctantem Pyrrhum, et erroris a piissimo Monacho, ac postmodum Martyre nomine Maximo convictum, Constans Constantini filius, Heraclii Nepos, ejusque in imperio post Constantinum, et Heraclenam patruum successor in Africam relegavit.

V. Intrusus interea in sedem Constantinopolitanam Paulus, et Pyrrho suffectus Constanti auctor fuit, ut decretum, quod <u>typum</u> dixere, ederet, quo Heraclii Ecthesis confirmaretur. Verum Martinus I Joannis IV post Theodorum successor convocata Synodo Lateranensi prima ex <u>105</u> episcopis tam Ecthesim Heraclii, quam typum Constantis, nec non primarios Hæreticorum duces Theodorum Pharanitem, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum condemnavit; multa idcirco a Constante perpessus, atque ad extremum ad Chersonam exul deportatus anno <u>655</u> donec post quatuor exilii menses Martyr clarissimus occubuerit. Sed tot malis, quibus ex hac hæresi Ecclesia conflictata est finem lætum imposuere Constantinus Pogonatus Princeps apprime catholicus Constantis successor, et Agatho post Martinum Pontifex Romanus, qui communicatis ad constituendam Ecclesiæ pacem Consiliis Constantinopoli Concilium generale VI indixerunt, quo approbatis quin=

que præcedentibus generalibus Conciliis, et confixa Monothelitarum hæresi cum præcipuis ejus ducibus, ac patronis, quos inter et Honorius hodie legitur, tranquillitatem ecclesiæ tandem reddidere.

VI. Antequam Catholicum dogma proponamus, doctrinæ ratio postulat, ut Monothelitarum error constituatur, et in quo positus fuerit, dilucide explicetur. Unicam Monothelitæ, ut eorum nomen indicat, in Christo voluntatem adstruxere. Sed quoniam ambigua est voluntatis vox, quod et volendi facultatem, et ipsum facultatis actum significet æque, non perinde certum est, actumne voluntatis, an ipsam quoque volendi facultatem inficiati fuerint Hæretici illi. Sed plerique in eo errorem suum posuisse videntur, quod etsi admitterent in Christo humanas facultates remansisse; eas tamen dicerent veluti mortuas, et per sese non moverent, nec unquam in actus sibi consentaneos erumperent; sed instar instrumenti passivi a divina voluntate ad quælibet impellerentur, unde una utriusque naturæ operatio manifeste consequatur. Hinc Sergius in sua ad Honorium epistola ait „ operatur quippe Deitas per corpus...... at sit carnis quidem passio, Dei autem operatio „; et Theodorus Pharanites in lib: ad Sergium „ oportet igitur ita sapere, et dicere nos, omnia quæ in Incarnatione Salvatoris Christi dicuntur esse, unam operationem esse; hujus autem opificem, et Creatorem Dei Verbum; organum humanitatem existere „. Verum quoque errorem suum sensu intellexerint Monothelitæ, certum est fide Catholica, non unicam in Christo facultatem volendi, et unicum operationum, seu volitionum genus; sed duas existere facultates volendi, et duo genera volitionum liberarum, divinarum nempe, humanarumque. Quod sequente propositione affirmamus.

Propositio I.

Præter divinam voluntatem fuit etiam in Christo voluntas humana, et operationes ejus facultatis propriæ.

Probatur 1mo ex Scrip. ad Philipp. cap II, v. 8. Legitur: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum. Item ad Galatas cap. IV, v. 4: misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Ad Rom. V, v. 8. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines per justificationem. Jo: VI. Descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Et cap. XIV, v. 31. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; sed hæc omnia aperte docent præter voluntatem divinam omnis præcepti, et obedientiæ incapacem fuisse in Christo humanam etiam voluntatem et facultatis ejus operationes propriæ. Sint enim, inquit Damascenus lib: de duabus voluntatibus, non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium, quod primum in morbum inciderat. Quod enim non assumptum fuit, non est curatum ait Greg. Theologus. Ergo præter divinam voluntatem fuit etiam humana voluntas in Christo.

Probatur 2do ex Patribus iis præcipue, qui ante exortos Monothelitarum errores scripserunt. S. Athanasius in illa Lucæ cap. 22; v. 42. verba: Non mea voluntas, sed tua fiat

ita loquitur: duas voluntates hic ostendit, unam humanam, quae carnis est propria: alteram vero divinam. Sanctus Ambrosius ad recitata Lucae verba ait „ Voluntas fuit (in Christo) hominis temporalis, voluntas divinitatis aeterna „ S. Augustinus lib. **III** contra Max. cap; 20 „ In hoc quod ait non quod ego volo aliud se ostendit voluisse, quam Pater, quod nisi humano corde non posset..... nunquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater „ Patres alios eam in rem adducere supervacaneum omnino est. Adeo enim perspicua ratio suffragatur, ut nihil sit de quo minus, quam de duabus Christi voluntatibus in dispensationis misterio dubitari possit.

Probatur 3tio ratione theologica. Ex scriptura, conciliis, et Patribus Christus est perfectus Deus, et perfectus homo: habet duas naturas integras, ac distinctas, divinam et humanam, et utriusque perfectiones, et proprietates. Atqui facultas volendi humana est perfectio humanae naturae, et quidem essentialis, actus vero volendi humanus est proprietas naturalis humanitatis; idem dic de divina: ergo Christus habet facultatem volendi humanam, et actum volendi humanum. Huic similis est ratio altera ex Damasceno deprompta, qui lib: 3 de fide cap. 15: ait: quorum diversa natura est, horum est diversa actio: at duplex erat in Christo natura facta etiam unione: igitur duplex etiam operatio agnoscenda est. Constat denique, Christum meruisse, et satisfecisse pro peccatis nostris; atqui actus Christi non potuissent esse meritorii, et satisfactorii, nisi essent ab humana voluntate producti: cum divina voluntas non possit per suos actus proprie mereri, et satisfacere: est enim id inferioris naturae: ergo.

Causa trium Capitulorum

Cum Ibas Edessenus Episcopus ad Conci=
lium Chalcedonense se contulisset, ut in suam sedem
restitueretur, ex qua absens a Dioscoro in Epheso tan=
quam Nestorianus detrusus fuerat, relectis ejus scriptis,
et epistola quadam ad Marim Persam, ob quam præcipue ut
Nestorianus accusabatur, a judicibus sedis Apostolicæ
locum tenentibus ut innoxius episcopali honore dignus
act: 9, et 10 judicatus est. Judicium sententiam proba=
runt omnes episcopi modo Ibas Nestorium anathe=
matizaret; quod cum ille lubens iterato præstitisset
coram omnibus decretum fuit, ei honorem episcopatus re=
stituendum, et Ecclesiam, a qua absens, et injuste expulsus
fuerat, reparandam. Porro in epistola Ibæ Theodorus
Mopsuestanus Episcopus Nestorii magister laudabatur:
Theodoreti vero Cirensis anathematismi contra Cy=
rillum commendabantur. Quamobrem Eutichiani, ut
solent rei damnati obmurmurare judicibus suis, et
nova undique erroris sui defendendi argumenta conquirere,
cœperunt statim Chalcedonensem synodum lacerare, qua=
si Nestorio, et Nestorianis faveret. Idque satis constare
dicebant tribus præsertim punctis, seu capitulis. Primo
quod Magistrum Nestorii Theodorum Mopsuestenum
synodus laudasset, quem damnare debuerat tanquam
mali caput, et primum hæresis auctorem. Altero quod
cum Theodoreto Cyrensi Episcopo magni Cyrilli adver=
sario communicasset, ejus etiam contra Cyrilli scri=
pta recipiens. Tertio quod absolvisset Ibam Episcopum
Edessenum, ejusque epistolam quamdam ad Marim Persam
quæ Nestoriana erat, approbasset. Theodorus igitur
[illegible] laudatus, Theodoretus male in communio=